



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 18. Altera Latinorum professio fidei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

**Sæcul. XV.**  
**A.C. 1439.**

*etiam in sacro Symbolo explicatum est, paulatim ii, qui affirmant Filium non causam Spiritus, laberentur in dogma, tempus constituentes inter Patrem & Filium. Etenim qui negant, Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere, profecto manifeste declarant, quod ex solo Patre: si vero ex solo Patre, fuit ergo, quando non erat Filius: si vero dicant, quod ex sola paterna hypostasi, separant reipsa substantiam ab hypostasi, atque ita per ipsos substantia in partem secabitur, quod absurdum est. Hanc fidei Professionem die vigesimo nono Mensis Aprilis Latini ad Græcos miserunt; cum vero hi sibi necdum plane satisfactum esse censerent, eis aliam porrigere oportuit.*

§. XVIII.

*Altera Latinorum fidei professio.*

**I**n hac secunda fidei formula Latini explicabant processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio, ita tamen, ut unam Filii & Spiritus Sancti causam, nempe Patrem profiterentur. Post & Græcorum suam fidei professionem Latinis transmittentibus, in qua declarabant, se quoque profiteri, fontem & radicem Filii ac Spiritus Sancti esse Patrem, ac Filium emittere, & ex se scaturientem effundere Spiritum, atque a Filio emanare, profluere, & effundi Spiritum Sanctum. Cum vero Latini a Græcis



cis harum vocum explanationem postulant, quo nimirum sensu, & utrum eas de æterna ac substantiali processione vel duntaxat de temporali missione intelligerent, tandem post nonnullas contentiones professionem fidei ediderunt, his verbis conceptam.

## §. XIX.

*Professio fidei a Græcis edita pro Latinis.*

Nos Latini asserimus, quod id, quod dicimus Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, non hac mente dicimus, ut excludamus Patrem, ut non sit principium totius Deitatis, Filii scilicet & Spiritus Sancti; aut quod id, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo asseramus principia, sive duas spirationes, sed quod unum tantum asserimus esse principium, unicamque spirationem Spiritus Sancti, prout hætenus asseruimus. Nos quoque Græci eodem sensu, eadem anima, eademque mente consentimus & concordamus, & ita profitemur, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & ex utroque tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit, & quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio,

Sæcul. XV.  
A. C. 1439.